**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

# Jonstoni Historia Naturalis

Ioann. Ionstoni|| Historiae Natvralis|| De|| Exangvibvs|| Aqvaticis|| Libri IV||

**Jonston, Jan**

**Heilbrunna, MDCCLXVII.**

**VD18 90529022**

Historiae Natvralis De Exangvibvs Aqvaticis Liber I. De Mollibvs, Sev Mollvscis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-11100**

Visual Library

# HISTORIAE NATVRALIS DE EXANGVIBVS AQVATICIS

## LIBER I.

## DE MOLLIBVS, SEV MOLLVSCIS.

### TITVLVS I.

### *De Molluſcis in genere.*

*Ariſt. H. A. l. 1. c. 4. et 8. l. 4. c. 1.*

QVATVOR Exanguium genera Ariſtoteles conſtituit, *Mollia*, nempe ſeu *Molluſca*, quae carne molli foris obducta, ſolidum interius modo ſanguinei generis continent. *Cruſtata*, quae cruſtis colliſis teguntur. *Teſtacea*, quae teſtis duris fragilibus muniuntur, et *Inſecta*, quae Graeci ἔντομα dixere, *Zoophyta*, hiſce adnumerari meliori jure poſſunt, quam ut inter plantas, numerentur.

*Ariſt. H. A. l. 4. c. 1.*

Nomen.

*Molluſca* praemittimus, tum quod nobiliora ſint, et partium numero ac robore longe praecellant; tum quod idem Ariſtoteles et Plinius fecerint. Nec male Aquatica Piſcibus ſubjungentur, cum et Plinio, ea, piſces nuncupare placuerit. Molluſca ſeu μάλακα dicuntur, quod neque aſperam, neque teſtaceam cutem, neque ſquammam habeant, Athenaeus τευθώδη, ſeu Loligini ſimilia dixit. Dici et μαλακόδερμα Gazae et Rondeletio viſum: deceptos, et Cartilaginea Ariſtoteli talia dici Salvianus oſtendit.

*Plin. H. N. l. 9. c. 28.*

*Galen. de Alim. facult. l. 3.*

*Ariſt. de Gener. l. 1. c. 10.*

Deſcriptio.

*Ariſtot. de part. l. 2. c. 8.*

Naturam inter carnem et nervum mediam obtinent: fiſſilis haec, in anfractum, ut ad vires commodior eſſe poſſit: loco oſſium, quod piſcium ſpinis proportionetur omnia, Polypum ſi excipias. *Exteriores partes* tres praecipue habet *Caput*, *pedes* ſive brachia, quos Ariſtoteles quandoque πλεκτάνας, Gaza crura, barbas, cirros vocat, et τὸ κύτος ἀδιάριϛον, id eſt, *alveum indiſcretum*. *Caput* omnibus inter pedes et ventrem, ſeu ut Ariſtoteles, ἐν μέσῳ τῶν πόδων τῶν καλȣμένων πλεκτανῶν. In capite *Os* eſt et bini *dentes*, qui potius, cum immobiles ſint, neque ad retinendam praedam firme innitantur, ῥύγχος ſeu roſtrum dicendi ſunt. Eſt enim haec pars, (os et dentes) adunco carnivorarum roſtro perquam ſimilis, ex duabus partibus compoſita, ſuperiore et inferiore commiſſura pyxidata, ut loquitur Rondeletius, ita ut inferior ſuperiori inſeratur. Loco *linguae* carnoſum quiddam in ore gerunt, quo eſculentorum voluptatem diſcernunt. In capite *oculos* bi-

*Plin. H. N. l. 9. c. 28.*

*Ariſtot. de part. l. 4. c. 5.*



Landesbibliothek Oldenburg

nos grandiuſculos, quibus exigua quaedam cartilago, diſcrimen cerebrum parvulum continens, praeſtat. *Pedes* habent parti priori, circum caput, infra oculos circa os et dentes vinctos, quod pars ejus poſterior ad priorem adducta ſit, extremaque coëant ac confundantur, hinc fit ut excrementa meatu ori vicino infra emittant. Octoni hi ſed ſingulis eorum generibus diverſi. *Acetabula* ſunt quibuſdam, cirramentaque, implicamentis illis, quibus digitos antiqui medici indere ſolebant, ſimilia fibris implexa, quibus carunculas caeteraque cedentia trahunt. Aliis breves et inutiles, binaeque promuſcides praelongae, quibus veluti anchoris innituntur, ſeque contra aeſtus marinos navigii modo ſtabiliunt. *Fiſtulam*, ſupra caput, et brachia ante alveum, gerunt, cavam, quam modo in dextram modo in ſiniſtram partem transferunt, et hac, mare tranſmittunt. Ariſtotele haec modo, αὐλὸς modo μυκτήρ. Geſnerus φυσητῆρα legit, Gaza et Plinius narem tranſtulere. *Pinnulam* quoque habent circumdantem alveum, ut natare, et ſe in natando dirigere poſſent.

*Ariſt. H. A. l. 4. c. 1. l. 8. c. 2.*
*Plin. H. N. l. 9. c. 12.*
*Ariſtot. de part. Anim. l. 4. c. 10.*

*Alveus* a capite amplioris capacitatis propendet, cujus caro non in directum, ſed id orbem ſiſſilis et cute integitur. Cutem tamen Salvianus denegat, et Plinius, nulla, Polypos veſtiri ſcribit. *Capillamenta* in toto eorum latere conſpiciuntur, quorum is, qui branchiarum in aliis piſcibus, uſus. Scholiaſtes Nicandri ὀσλίγγας, Ariſtoteles τριχώδη vocat. *Interiora* ſi ſpectes. Os *gula* excepit anguſta, quam ſequitur ingluvies, πρόλοβος, ampliuſcula, neque avibus abſimilis, cui jungitur *venter*, tanquam ἤνυστρον facie buccinorum claviculae.

*Plin. H. N. l. 9. c. 12.*

*Inteſtinum* ab eo tenue, partem verſus repens ſuperiorum ad os fertur, quod laxius eſt quam gula. De *Cerebro*, vel quod ipſi proportione reſpondet, ſuperius diximus, *veſica* carent. *Mutis* adhuc ſupereſt, quam Ariſtoteles, principatum ſentiendi obtinere dicit, ac ſi haec cordi eſſet ἀνάλογος. Humida ea et corpulenta pars per quam gula in ventrem pertendit, adnata magis tergo. Ater humor, quem quidam τὸν θόλον, alii ut Athenaeus et Dioſcorides τὸ μέλαν vocant, pro ſanguine ipſis ineſt, ſi Plinio credimus: pro bile, ut Rondeletio placuit. Non ſolet, ſcilicet, natura, id quod pro ſanguine ſervat, in quolibet metu effundere: nec ullus meatus venae proportione reſpondet, quo alendi corporis cauſa in univerſum corpus diſtribuatur. Secretus is ab alimento in veſica, ſeu tunica membranea; Ariſtoteles μήκωνα, Gaza Papaver appellavit; exitum finemque habente, qua alvi excrementa emittunt, parte quae fiſtula vocatur, quae in ſupinis poſita eſt.

*Ariſtot. de partib. l. 4. c. 5.*
*Plin. H. N. l. 9. c. 29.*

In ſalſis aquis degunt: ſed in potulentioribus non inveniuntur, ideo fruſtra in Ponto quaeras.

Locus. *Ariſt. H. A. l. 9. c. 28.*

*Veſcuntur* carnibus. Nec *ſexus* ipſis denegatus. Ariſtoteles enim vulvas bifidas, ac teſtes geminos juxta genitale in omnibus reperiri ait.

Cibus. *Ariſt. H. A. l. 4. c. 1. de Gener. l. 1. c. 1. et 3.*

Differunt foeminae a maribus, quod mas prona ſui corporis nigriora ſupinis, parteſque omnes aſperiores habeat quam foemina, et lineis intervenientibus varias, caudamque acutiorem. In mare quoque meatus quidam ſubditus gulae, a Cerebro in ima alvei pertendit, idque ipſum ad quod fertur, ſpeciem mammae imitatur: in foemina duplex illud idem, ſupraque poſitum habetur.

Sexus.

*Generationem* quod ſpectat, Tergis copulari, et diu in venere, quia frigida, morari, compertum. Ore coire, et renixu atque complexu mutuo brachiorum jungi, prodidit alibi Ariſtoteles.

Generatio.
*Ariſt. de Gener. l. 1. c. 15. et l. 3. c. 8.*

Semen per meatum emittunt, idque parte corporis ſupina, qua *putamen* diſtat, et mare illabitur, faciunt. Continent foeminae primo ova indiſcreta, mox diſcreta in plura: ſed quia imperfecta excluduntur, augeſcunt more vermium, poſtquam vim vitalem ab aſperſo maris ſemine accepere. Sic glutino uvae inſtar cohaerent, et quam primum vitale virus attigere, animalcula ex iis naſcuntur.

De

Landesbibliothek Oldenburg

Landesbibliothek Oldenburg


Tab. I.
Polypus. Polkuttel.
1
Sepia. Black fisch. black kuttel
2
Sepia ſupina. Meerſpin.
3
Loligo maior. groſer ſchmaler black fisch
4
Loligo minor.
5
Ova ſepiarum.
7
Lepus marinus. Seehas.
6
Sepiola. Kuttelfisch. Klein blackfisch.
8

De *ſenſibus* nullum eſt dubium. Dormire et ſomniare apud Ariſtotelem habemus.

Uſus. *Ariſt. H. A. l. 4. c. 14. Ariſt. de Gen. l. 1. c. 19.*

Apponebantur olim menſis; et probabantur maxime gravida. Nec nunc a culina exulant, quaedam Polyporum genera ſi excipias. Succum ſalſum exiguum crudum copioſum habere ſcripſit Galenus. Flatus parere, elixataque probiora effici, quod humor noxius eluatur, Diphilus. Ova an aliquando in cibo fuerint, dubium.

*Galen. l. de boni et mali ſucci cibis.*

# TITVLVS II.

## DE MOLLIBVS IN SPECIE.

### CAPVT I.

### *De Polypo.*

TAB. I. I. *Alrovand. Exangu. l. 1. c. 2.*

TANTVM de Molluſcis in genere ſufficiat, jam in ſpecie de iis agemus. Numerantur autem inter ea, *Polypus*, *Sepia*, *Loligo*, quibus *Leporem marinum* adjicimus.

Nomen.

*Polypus*, qui pro ratione Dialectorum, πολύπους, πουλύπους, πούλυπος, πώλυπος, et πώλοψ vocatur, a multitudine pedum, nomen ſortitus eſt. Antiphyllus Byzantius in quodam Epigrammate πουλυπόδην dixit. Lacones ἀνόστεον, alii ὄνον, ſeu aſinum marinum, infimae aetatis Graeci Octapodia, ſeu Octapodos vocavere.

Deſcriptio.

Deſcriptionem quod attinet, *Ventrem* tum figura tum tactu, cum Sepiis ſimilem habere, ſtomachum nimirum ſive gulam ab ore praelongam, quam ingluvies excipit; tum ventrem conjungi, ac inteſtinum ſimplex ventri annecti, et uſque ad exitum tendere, Ariſtoteles prodidit. *Cerebrum* in diſſecto duplex conſpici, citat ex Ariſtotele Athenaeus, qui et *atramentum* ejus ſubrufum eſſe, et in veſica, quam μήκωνα vocant, quoque ſupra ventrem, auctoribus Aeliano et Scholiaſte in Ariſtophanem, ſita eſt, contineri, ſcribit, minuſque hujus quam Sepiam, et quidem ad mutim habere, quod brachia habeat coloremque mutet, ubi amiſſum eſt, accreſcere, et nunquam ejus copia deſit, Ariſtoteles addidit. *Caput* ei praedurum quam diu vivit, et quaſi inflatum eſt. Alveus id in caeteris mollibus dicitur, quod brevius et rotundius conſpiciatur. *Oculi*, ſupra duos pedes: *Os* et dentes in pedum medio. *Pedes* habet ut reliqua octonos membrana interjecta magnos, non ſolum ad natandum, ſed et ad ambulandum utiles, quorum medii quatuor habentur maximi, ut bina ſaepe cubita ſuperent, cum acetabulorum ordine duplici, quibus ori cibum admovent; reliqui quatuor, duo ſuperne, totidem inferne, minimi. A quibuſdam brachia, ab aliis, Crura, Cirri, a Plinio barbae, vocantur. Acetabula Ariſtoteles πλεκτάνας, alii κοτυληδόνας, Antiphilus Bizantius ἕλικας, Antipater Thettalus πλοχμοὺς, Ovidius flagella, dixere, πρῆθμα a Heſychio et Varino dici; nonnulli credidere, alii id capiti tribuunt. *Dorſum*, Plinius partem laevem appellat, a qua acetabulorum ordo inchoatur. *Cervicem*, habet imbecillam, cum premitur. *Pinnulam* ipſi anguſtam, de medio ortam, quod parvum habeat alveum, quem pedibus ſuis dirigere poſſit, Ariſtoteles tribuit. Plinius ob eandem cauſam, habere negat. Tam eſſe exiguam, ut minime aut vix conſpici poſſit, experientia didicimus. *Fiſtula* ipſi in dorſo, cava, qua mare tranſmittit: eamque modo in dextram partem, modo in ſiniſtram transfert. *Roſtrum* Pſittaci, ſi Scaligero et Belłonio, fides. *Cutis* nulla, quamvis Bellonius pedes cute contegi reliquerit. *Caro* alba, cavernoſa, meatuumque plena, quod apud Galenum et Plutarchum legimus.

*Ariſtot. de part. l. 2. c. 8. Athen. Dipnoſoph. l. 7. Ariſtot. de part. l. 4. c. 5. Ariſt. H. A. l. 9. c. 37. Athen. Dipn. l. 7. Ariſt. H. A. l. 4. c. 1. Ariſt. de part. l. 4. c. 9. Ariſt. H. A. l. 4. c. 9. Plin. H. N. l. 9. c. 29. Scalig. Exerc. 218. Bellon. Obſerv. l. 1. c. 14. Galen. de ſympt. cauſ. l. 3.*

Locus.

In *mari Adriatico* ſunt frequentiſſimi. Thaſus et † Caria optimos, Corcyra magnos alit. In exterioribus Cartejae locis ad talenti pondus accedere, Strabo ſcribit. In Ponto Euxino non reperiuntur magni, ſi Oppianum ſequimur: circa Helleſpontum nulli, quod hoc mare ad Boream

*Plut. qu. natur. 19. † Athen. l. 7. Strabo Geogr. l. 3. Oppian. Hal. l. 1.*

*Ariſt. H. A. l. 8. c. 2.* ſpectans imbribus fere ſit obnoxium.

Victus. *Aelian. H. A. l. c. 32.* *Victus* ipſis carnes conchularum, quas complexu crinium frangunt: itaque praejacentibus teſtis cubilia eorum deprehenduntur, Carabi, Cancri, Paguri, Locuſtae, quarum carnes quandoque exſugunt, et ſuccum exhauriunt; ſalſamenta, et piſces. Haec omnia tanta aviditate devorant, ut ne a proprio quidem genere abſtineant, *Aelian. H. A. l. 1. c. 1.* et ſi Aeliano fides eſt, qui minores retibus incluſi capiuntur, majorum eſca fiunt. Humanas vero carnes inprimis appetunt. Et refert Trebius Niger apud Plinium, ad conficiendum hominem, in aqua, nullum hoc atrocius eſſe animal, luctari complexu atque ſorbere, et numeroſo ſuctu detrahere, ac in naufragos urinantes impetum facere. Depaſcere et arborum fructus, in ſiccum aeſtivo tempore egreſſos, certum. Ex plantis autem olea maxime delectari ejusque truncum flagellis ſaepiſſime amplecti, *Athen. Dipnoſ. l. 7. Oppian. Halie. l. 4.* praeter Athenaeum, Oppianus prodidit. Ficis ad mare natis affigi, et fructum mandere, ex Clearcho habemus. An brachia ſua tempore penuriae, ſub brumam comedant, quae rurſum renaſcantur, dubium quidem eſt, a maximis tamen authoribus, *Oppian. Cyneget. l. 3.* Alcaeo, Diphilo, Heſiodo, Oppiano, et Aeliano, affirmatur, hinc κολοβόποδας dici Johanni Grammatico ajunt. *Ariſt. H. A. l. 8. c. 2.* At Ariſtoteles, Plutarchus id falſum cenſent, et ille, aliquos ſua brachia a congris habere, addit.

Sexus. Diſtingui *Sexu*, nullum dubium, et Marem a foemina differre, quod ille capite *Ariſt. H. A. l. 5. c. 6.* eſt productiore, et brachio ſuo gerit, quod genitalis ſpeciem referat, in quo duo ampliſſima acetabula habentur. Nervo id quaſi conſtare, porrectum ad medium uſque brachium confirmant, totumque nari foeminae annecti. *Athen. Dipnoſ. l. 7.* Athenaeus, acutius et ſolum albicans eſſe, parte ſui extrema bifurcatum, dorſoque annexum tradit. Plinius forte *caudam* vocat.

Generatio. *Ariſt. H. A. l. 5. c. 12.* De *Coitu* ipſorum hoc ſcimus, cum latent, (conduntur autem binis menſibus) idque hyeme coire, et ova parere. Os ori, acetabula acetabulis *Ariſt. H. A. l. 5. c. 6.* componunt. Cum eo, quod vocant caput, in terram reclinato, unus invitetur, brachiaque pandat, alter, paſſis item flagellis, adaptat ſeſe ita, ut acetabula continuentur. Edunt ova et quidem verno tempore, fiſtula. De Ovis ita Ariſtoteles. *Ariſt. H. A. l. 5. c. 18.* Deponunt aut in cavernis aut in teſtis, aliove cavo loco ſimile quiddam labruſcae cirrulis, et candidae populi fructui. Edita ova dependent ab ambientibus ſpecuum parietibus, tanta copia, ut exemta, vas implerint longe majus, quam caput ipſius, in quo ipſa continebantur. His quinquageſimo demum die diſruptis, puſilli polypi generantur: et magno agmine ſerpunt, phalangiorum more. Ac quanquam non omnibus membrorum ſingulorum natura conſpicua eſt: tota tamen apparet forma. Multi autem propterea quod invalidi ſint, pereunt. Adeo vero aliquando exigui reperti ſunt, ut nihil haberent diſcretum; caetera diſcreti moverentur. Quod ita breviſſime Plinius. *Plin. H. A. l. 9. c. 51.* *Polypi vere pariunt ova tortili ſimulata pampino, tanta foecunditate, ut multitudinem ovorum cuncti recipiant cavo capitis, quo praegnantes tulere. Excludunt quinquageſimo die, e quibus multa propter numerum intercidunt.* Polypus foemina modo incubat ovis, modo cavernam cancellato brachiorum implexu claudit. Artificioſe haec extructa, et circumjecta concharum tenuiorum et ſcabrarum congeries velut lorica dura erigitur. De *Aetate* haec apud Ariſtotelem legimus. *Ariſt. H. A. l. 9. c. 59. Scalig.* *Pauciſſima genera Polyporum biennium vivunt. Natura enim facile contabeſcit. Argumento eſt. Preſſus enim, aliquid ſemper emittit, ac tandem evaneſcit. Patiuntur hoc foeminae, poſt partum magis, ac ſtupidae fiunt, neque fluctibus agitatae ſentiunt. Facile quoque ab urinantibus manu capiuntur. Muccoſae quoque evadunt, neque ad venandum conſiſtere queunt, quod autem bimatum non expleant, inde capiunt argumentum. Nam poſtquam polypuli orti ſunt, tum in aeſtate, tum ſub Autumnum, haud facile invenias polypum grandem. At ante id tempus maximi ſunt. Ubi igitur ova ediderint, ſic conſeneſcere atque debilitari utrumque affirmant, ut etiam a piſciculis exedantur, per facile quoque abſtra-*

Landesbibliothek Oldenburg

*abſtrahi a cubilibus. Ante id tempus, nihil tale.* Aelian. H. A. l. 9. c. 30. Aelianus hoc Veneri adſcribit, cui et Oppianus aſſentitur. Vivit tamen etiam in centum diſſectus partes.

Motus. *Natant* et pinnis et pedibus, et quidem obliqui. Pedes in eam porrigunt partem, quae capitis nomine appellata eſt, ita, ut cum natant, in adverſum proſpiciant, et caput ex adverſo habeant. Sub aquis, ita in ſolido ingrediuntur, ut humoris beneficio ſuſpenſi fluctuent. In ſicco (in ſiccum exeunt aſperum, laevitatem odere) cum ambulatio cum pulſu et tractu fiat, alterum ſolum eſt in Polypi motu. Scalig. Exerc. 218. Acetabulis enim jactis procul, ut, cuique applicuere id apprehenſum tenent: tum brachiorum contractione corpus admovent, ita ſubvehunt ſeſe in eam partem cui adhaeſerunt.

Ingenium. *Ingenium et ſagacitatem* ſi ſpectes, ἀνόητον quidem Athenaeus, brutum Plinius vocat, quod ad homines adnatet, nec perſequentem fugiat: eſt nihilominus callidus et ſolers. Ariſt. H. A. l. 9. c. 37. Nam primo, omnia in domum comportat, dein putamina eroſa carne egerit, adnatanteſque ad ea piſciculos venatur. Idem Conchas artificioſe diſcuneat, et earundem carnibus veſcitur. *Non* Plin. H. N. l. 9. c. 30. *ſunt*, inquit Plinius, *praetereunda et L. Lucullo Proconſ. Beticae comperta de Polypis, quae Trebius Niger e Comitibus ejus prodidit, avidiſſimos eſſe Concharum; illas ad tactum comprimi, praecidentes brachia eorum, ultroque eſcam ex praedante capere. Carent Conchae viſu, omnique ſenſu alio, quam cibi et periculi. Inſidiantur ergo Polypi apertis, impoſitoque lapillo extra Corpus, ne palpitatu ejiciatur, ita ſecuri graſſantur, extrahuntque carnes: illae ſe contrahunt, ſed fruſtra, diſcuneatae. Tanta ſolertia, animalium hebetiſſimis quoque eſt.* Colorem eum mutare, ſic piſciculis imponere, vulgare; Athen. Dipnoſ. l. 2. in eo non convenit, quod Theognis, Phocyllides, Ion, petrarum duntaxat Plin. H. N. l. 9. c. 37. mentiri colorem ſcribunt. Plinius vero et Antigonus ad ſimilitudinem, ille loci, hic rerum, quibus appropinquat, quod et de arena Scaliger innuiſſe videtur, eandem ſuſcipere, prodant. Cauſas hujus rei diverſi diverſas aſſignant. Plutarchus id aſtu facere et quod corpus poroſum et tranſparens habeat, ait. Alii, ut Theophraſtus ſcribit, metui id aſſignant, ut cum hominis genae, pro varia cordis concitatione, hoc vel illo colore tinguntur. Bellonius, ob mollem pellem, quae facile deglubi poteſt, id fieri credit. Cujus colorem, nunc album (hunc aſſumere non poſſe, apud quoſdam invenies) mox rufum, poſtea lividum, mox variis coloribus diſtinctum videas. Huc pertinet et illud, quod apud Plin. H. N. l. c. Plinium extat. Polypum hamos appetere, brachiiſque complecti, non morſu, nec prius dimittere, quam eſcam circumroſerit, aut harundine levatum extra aquam: Monſtro vero propiora ſunt, quae Trebius Niger, apud eundem prodidit. *Cartejae*, in- Plin. H. N. l. 9. c. 30. quit, *in Cetariis prodire aſſuetus, exire in lacus eorum e mari apertos, atque ibi ſalſamenta populari, convertit in ſe cuſtodum, indignationem, aſſiduitate furti immodici. Sepes errant objectae, ſed has tranſcendebat per arborem, nec deprehendi potuit, niſi canum ſagacitate: Hi redeuntem circumvaſere noctu: Concitique cuſtodes expavere novitatem. Primum omnium magnitudo inaudita erat, dein color muria obliti, odore diri. Quis ibi Polypum* expectaſſet, aut ita cognoſceret? cum monſtro dimicare ſibi videbantur. Namque et afflatu terribili canes agebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robuſtioribus brachiis clavarum modo incuſſos, aegreque multis tridentibus confici potuit. Oſtendere Lucullo caput ejus dolii magnitudine, amphorarum quindecim capax, atque (ut ipſis Trebii verbis utar) barbas, quas vix utroque brachio amplecti eſſet, clavarum modo toroſas, longas pedum XXX. acetabulis ſive caliculis urnalibus, pelvium modo: dentes magnitudini reſpondentes. Reliquiae aſſervatae, miraculo pependere pondo DCC. Quae de alio, mer- Aelian. H. A. l. 13. c. 8. catorum res ſalſamentaque Puteolis Athen. Dipnoſ. l. 4. depopulante, dicuntur, apud Aelianum vide.

Uſus. Quantum ad *uſum* appoſitos olim menſis, nullum dubium. In convivio nuptiali Iphicratis, qui Cotys Re-

gis

gis Thracum filiam ducebat, erant centum. Mneſimachus in Hippotropho apud Athenaeum, eoſdem apparat. Apud Graecos, quoque cum Ἀμφιδρόμια celebrarentur, ab amicis mittebantur. Durae tamen ſunt carnis, et ad concoquendum difficilis. Ideo ligno contunduntur, vel ad lapidem atteruntur, ut fibroſae carnis durities frangatur. *Caput* ſuaviſſimi ſaporis eſſe perhibetur. *Caro*, ſi concoquatur, copioſum alimentum, ſed ſucco crudo ſcatens, ſuggerit. Plinius muriam ex ſeſe emittere, ſcribit, et ideo non debere in coquendo addi, et arundine ſecari: ferro enim infici, vitiumque trahere, natura deſinente. Elixi magis probantur quam aſſi. Philoxenus Dythiramborum Poëta, quod totum excepto capite devoraſſet, in aegritudinem incidit, et mortuus eſt. Idem Diogeni Cynico accidit, quod crudum * deglutiviſſet. Invenere et *in Medicina* locum. Polypo tuſo et appoſito ſiſti ſanguinem, ſcripſit Plinius. Myrepſus in clibano cum lignis oleae eundem urit, donec in cinerem vertatur, pulveris unciam, cum dimidia Chalcanti miſcet, et naribus ad tollendum Polypum inſufflat. Secundum Hippocratem, toſti puerperii purgamenta purgant, bene ad concipiendum dantur, menſes in vino albo ſuffocati, movent. Uteros molliunt, et in dislocatione eorundem bene praeſcribuntur. Ad Venerem ſtimulare, praeter Diphilum, Aeginetam, Dioclem, Alexis et Xenarchus apud Athenaeum teſtantur. Jovius vero, ſale inveteratos Venetias ex Dalmatia et Illyrico deportari, et a ſenibus acetabula et extremitates cirrorum, ad ſobolem procreandam expeti, ſcribit. Cauſam Mneſitheus in flatuoſitatem, Jovius in ſalſedinem, Aldrovandus in ſeminis copiam, quam ſuppeditant, conjiciunt.

*Athen. Dipnoſ. l. 9.* — *Plin. H. N. l. 32. c. 10.* — ** Plutar. l. An aqua igne melior.* — *Hippocr. l. de inter. affect. de Natura muliebri etc.*

Antipathia.

*Inimicitias* cum Locuſta, Cammaro, Congro, et Muraena exercet. Locuſta cum in tantum pavet, * ut ſi juxta viderit, omnino moriatur, quod et Aelianus prodidit. A Congris * laceratur. Muraena eidem dentium firmitate brachia † abſcindit. Cum apud Epidaurum eaſdem ſecaret Bellonius, ventriculos cirris Polyporum refertos comperit. Immobiles manere ſi quis rutam conjiciat, Aelianus author eſt.

** Plin. H. N. l. 9. c. 62.* — *Aelian. H. A. l. 10. c. 38.* — ** Plin. l. c.* — *† Aelian. H. A. l. 1. c. 32.* — *Aelian. H. A. l. 1. c. 39.*

Differentia.

Quantum ad *Differentias* et *Genera*, variant circa ea authores. Apud Athenaeum ex Ariſtotele et Speuſippo, Heledonem, Polypodinem, Bolbotynen, et Oſmylen, ſpecies Polyporum invenies. Apud eundem Nautili et Trepſichrotis fit mentio. *Ariſtotelis* haec ſunt verba, ex Scaligeri interpretatione. *Polyporum multa ſunt genera. Unum genus eſt frequentiſſime ſumma aqua natans, quod et maximum eſt. Horum littoris accolae longe ſunt majores, quam qui in alto degunt. Aliud genus parvorum, ii vario ſunt colore, neque eſitantur. Item alia duo. Nam* Eledona *tum peculiari crurum longitudine: tum, quia molluſcorum ſola ſingularibus tantum acetabulis praedita eſt. Cum bina alii habeant. Et quam alii vocant* Bolitaenam, *alii* Olentiam. *Poſtremo alii duo in conchis. Unus, a quibuſdam et* Nautilus *et* Nauticus, *appellatur, ab aliis autem ovum* Polypi. *Ejus teſta pectunculo ſimilis eſt cava: neque ei connexa natura. Is prope terram paſcitur ſaepe numero: quare a fluctibus ejicitur in aridam, ubi elapſus de Concha, aut capitur, aut in humo perit. Hoc genus et puſillum eſt, et ſimile Bolitaenis. Alter in teſta tanquam limax, is ex ea nunquam exit: ſed interdum brachia exerit.* Tantum Ariſtoteles: Quinque itaque Polyporum genera ſunt, quorum duo in conchis haerent, tria, ſine conchis conſpiciuntur, inter quae levem et exiguam moderni differentiam eſſe putant. *Eledone* ἀπὸ τȣ̃ ἑλεῖν, quod comprehendat, vel ἀπὸ τȣ̃ ἑαυτὴν ἔδειν, quod ſe ſeipſam rodat, dicitur, ὄζαινα, ὄζολος, ὀσμύλος, a gravi capitis odore nomen habet: Oſmylus adeo bene olet, ut Gyllius, nihil moſcoſius ſe ſenſiſſe, etiam tum cum mortuus eſſet, ſcribat. Pollux tamen inter cirros et caput fiſtulam gerere, e qua tetrum emittat odorem, prodidit.

*Athen. l. 7.* — *Ariſt. H. A. l. 4. c. 7. Scalig. edit.*

*Bolitaena*, quae βολβοτίνη, Scaligero olentia, vel potius Putilia dicitur. Gyllius eam, ut et πολυποδίνην, nomine

ab

ab Oſmylo duntaxat differre, ſcribit. Epicharmus apud Athenaeum, mare olere ait. Non alit eam Euripus: in Laconia frequens eſt. Illa Menulas Sepiolaſque venatur. Ad venerem plus caeteris valet. Exſiccatur a quibuſdam, ut veſtibus fragrantiam in arcis conciliet.

*Plin. H. N. l. 9. c. 30.*

## CAPVT II.

### *De Sepia.*

TAB. I. 2. 3. 7. 8.

Nomen.

Sepia, quae Thebanis *Opiſtholia*, Arabibus *Sarathan* et *Sarthan* audit, Graecis ita dicitur, non quod ſepibus intercluſa facilius capiatur, ut Iſidoro placet, nec quod profuſo atramento ſe ſepiat, ne capiatur: ſed quod atramento, veluti putrida quadam ſanie, quam Graeci σηπεδόνα vocant, abundet.

Deſcriptio.

*Deſcriptionem* quod attinet, multas cum Polypis, plurimas cum Loligine, communes habet, partes quasdam etiam proprias. Cum Polypo convenit, quod pinnas exiguas habeat. Anguſtam eſſe, et per totum alveum circumductam apud Ariſtotelem legimus, ventrem tum figura tum tactu ſimilem cum Loliginibus, ſortitae ſunt alveum corporis magnum, qui tamen Sepiae latior, Loligini longior; crura † brevia; pedes ſupra dentes ſenos exiguos, eorumque noviſſimos duros majores, reliquos octonorum duos infra, omnium maximos, promuſcides binas longas acetabulo parte extrema bino aſperiuſculas, quibus veluti anchoris innituntur, ſeque tempeſtate urgente modo navigii ſtabiliunt, venantur, et praedam ori e longinquo admovent, pedes Plinius vocat. Vulvam quoque articulatam habent, ut bifida cernatur, cum Polypi rotundum conglobatumque uterum habeant. Proprium Sepiae eſt praeter fiſtulam inter caput et alveum prominentem, atramenti copia, et vel ideo quam caeteris major, quod vitam littoralem traducat, et nihil aliud quo ſibi auxilietur habeat, cum Polypis et brachia, et mutatio coloris inſerviat. Continet hoc non ea quam μύτιν vocant, parte, Plutarchus veſiculam collo dependentem facit, ſed infra ad alveum, qua inteſtinum petere incipit ſuperiora, foramenque ſuum eadem obvolutum habet. Vocatur hoc Galeno θόλος ὑπόσαγμα et ὄτερον, Nicandro χολὴ, Aeliano ἀπόσφαγμα. Ariſtoteles noctu praefulgere, ut quorundam piſcium capita, addit. Habet et Σήπιον, in dorſo, robuſtum et latum, inter ſpinam et os, mediam prae ſe ferens naturam, fungoſam intra ſe complectens et friabilem corpulentiam. Athenaeus, et Dioſcorides ὄστρακον, Columella teſtum vel teſtam vocavit. Exemtum id e Sepiae dorſo, candidum eſt ſuperiori parte, durum ac laeve: inferiore autem fungoſa quadam medulla repletum, quae et leviter aſpera, et ligni modo frequentibus venis diſtincta viſitur. Germani Fiſchbein vocant. Saepe binum cubitorum magnitudine capiuntur.

*Ariſtot. de part. Anim. l. 4. c. 8.*

*† Ariſt. H. A. l. 4. c. 1.*

*Ariſtot. de part. Anim. l. 4. c. 9.*

*Plin. H. N. l. 9. c. 28.*

*Ariſt. de Gener. c. 8.*

*Ariſtot. de ſenſ. et ſenſat.*

Locus.

In Ponto nullas *reperiri* Sepias, Plinius author eſt. In ſeptentrionali Oceano degere, cum ſint frigidae et exangues, mirum. Major earundem in Gallia quam Italia copia, major in Adriatico quam Tyrrheno mari. Archeſtratus eas, quae prope Abderas et Maroniam capiuntur, laudat. Littoralem tantum vitam vivere, apud Ariſtotelem, cavernas maris incolere, apud Oppianum habemus.

*Aldrov. l. 1. c. 4.*

*Ariſt. de part. l. 4. c. 5.*

Victus.

*Victitat* piſciculis, ſaepe et mugile, quem longis promuſcidibus venatur. Aliquando et majores piſciculos vincit.

*Ariſt. H. A. l. 9. c. 37. et l. 8. c. 2.*

Generatio.

*Generatio* ſic perficitur. Coëunt corpora inter ſe amplexae, adaptanteſque mutuo ex adverſo narem (μυκτῆρα) et brachia, quod ore coire et lingua Plinius falſo dixit. Vere uterum foemina gerit, continet partum diebus quindecim: Ova ſtatim candida ſpecie grandinis: magnitudine myrtillorum grandiuſculorum. Editis ſuperinſundit de ſuo atramento. Itaque et nigra fiunt: et quaſi glutino haereſcunt inter ſe ad racemuli figuram. Mas quoque genituram ſuam effun-

*Plin. H. N. l. 9. c. 31.*

*Ariſt. H. A. l. 15. c. 17. Scalig. edit.*

b

Landesbibliothek Oldenburg

effundit, qua illa et nigriora & duriora ſiunt, atque augeſcunt uvae ad acini magnitudinem: Ex candida fit Sepiola, exitque die quinto decimo cute obrupta, exitque in caput et ventre annexo, ut aves. Quanquam nexus ille umbilici nondum ſatis conſtat. Creſcente itaque Sepia, decreſcit albumen, ut in avium ovis vitellus, ac tandem deficit: Oculi Sepiolarum ut in caeteris quoque animalibus grandiſſimi. Perfecta jam Sepia cum eſt egreſſura, ſe membranula ſecare occipit. Sepiola perterrita et *Ariſt. l. c.* ſtercus edit, et rubeſcit. Parit vero *Plin. H. N. l. 9. c. 51.* juxta terram inter arundines et ſicubi enata alga, aut aliud quidpiam e mari *Ariſt. l. c.* ejectum, ut materia ſarmentorum aut lapides. Bimatum non complere Ariſtoteles prodidit.

Sexus. *Ariſt. H. A. l. 4. c. 1. l. 5. c. 12.*

*Sexus* dignoſcuntur facile. Mares prona ſui parte nigriores ſunt, partes omnes aſperiores habent, et lineis intervenientibus varias, caudam etiam acutiorem. Foemina inteſtina continet duo veluti mammas, quae alvo diſſecta facillime conſpiciuntur.

Ingenium. *Plin. H. N. l. 9. c. 29. Ariſt. H. A. l. 9. c. 37.*

Ad *Ingenium* pertinet, quod percuſſae tridente foeminae auxiliatur mas: at foemina icto mare fugit: quod ſola ſuo utitur atramento, non ſolum cum metuit, ſed et abſcondendi cauſa: quod ambo ubi ſenſere ſe apprehendi, *Plin. l. c.* effuſo eodem, quod pro ſanguine his eſt, *Aelian. H. A. l. 1. c. 34. Philes in Jambis.* infuſcata aqua abſcondantur: quod a collo acetabulum inſtar funiculi, quo hamus dependet, dimittit, et piſciculis mordendum exhibet, eodemque retracto praedam *Oppian. Halieut. l. 2.* ad ſe adducit: quod denique tempeſtate urgente, propriis ſcopulis devincta flagellis haeret, et nativos dura connectit caute rudentes.

Uſus.

Habent ut olim ita et nunc in *Cibis* locum. Nam et cum Amphidromia celebrabantur, moenas cum Sepiis mollire, et plurimos cirros diligenter ſtringere ſolebant, et in Ipſicratis nuptiis, aſſarum ſit mentio. Optimae putantur gravidae, menſibus inprimis Januario, Februario, et Martio. Elixantur magna ex parte, aſſiſque praeferuntur. Majores ſale conſervantur in Illyride, indeque Venetias deferuntur, ut et Genua Mediolanum. Ad Venerem ciendam quidam cum nucibus adhibent. Ova in ſiccum ejecta, nonnulli in ſartagine coquunt. Sethi difficulter concoqui, parumque in ſe continere ſucci, ſcripſit. Eſt et *in Medicina* earum *Uſus.* Ad dentium dolorem, cum ovorum putaminibus et oleo miſcet Galenus. Hippocrates in morbis mulierum ſaepiſſime praeſcribit. Celſus et Dioſcorides atramentum alvum emollire produnt. Ova urinam movent teſte Plinio. Marcellus ad tincturas et maculas corporis abolendas ex iisdem remedium facit. Dentifriciis aptiſſimum eſt os Sepiae; quod et thoracis vitiis cum aqua potum prodeſſe Geſnerus ſcribit.

Differentia.

*De Differentiis* nihil occurrit. Rondeletius piſciculum hunc, quem ita deſcripſit, Sepiolam vocavit. Sepiae, inquit, naſcenti ſimilis eſt, pollicis craſſi magnitudinem non ſuperat: octo pediculis conſtat: duas proboſcides habet, nec ſepium in dorſo, nec gladiolum habet: utrique lateri pinnula, veluti ala parva affixa eſt, rotunda, nec figura, nec ſitu pinnis Sepiarum et Loliginum ſimilis, etc. Colore eſt vario, parvulis enim punctis in dorſo notatur. Ore, oculis, fiſtula, partibus internis a Sepia non differt. Carne eſt molliore.

## CAPVT III.

### *De Loligine majore et minore.*

Tab. I. 4. 5. Nomen.

Loligo major τεῦθος Graecis, Gazae Lolium, Gallis Calamar, a thecae ſcriptoriae ſimilitudine, ſive quod in ea reperiuntur, quae ad ſcribendum neceſſaria ſunt, dicitur. Minorem τευθίδα vocavere. Quaenam cum Polypo et Sepia communia habeant, capite de Sepia explicatum eſt: hoc ſolum addimus, Loliginum promuſcides, Ligulas vocari Apule- *Apul. Apol. I.*
jo;

jo; id vero quod durum ac ſolidum intus per corporis prona continetur, ξίφος, ſeu gladiolum dici. Differunt a Sepia, quod alveum, quem Ariſtoteles κοιλιὰν, Athenaeus ζωμάτιον vocat, longiorem habeat: & bina quidem conceptacula gerat, quae ventris ferunt ſpeciem, ſed alterum minus ingluviem imitetur et tactu diſcrepet, quoniam et Corpus totum carne molliore conſtat. Quin et praeter atramentum, quod prope mutim habet, gerit et ſuccum purpuraſcentem, ὠχρὸν Athenaeus vocat, Oppianus ὁπέρυθρον, Gladiolus autem, quem Athenaeus ὄστρακον dixit, cartilagineus eſt, pellucidus, et ab una parte cultrum, ab altera calamum referens.

*Oppian. Hal. l. 3.*

*Aldrov. de Mol. l. 1. c. 6.*

Deſcriptio.

*Bellon. de Piſcib. l. 2.*

Aldrovandus cryſtalli inſtar ſplendidum depinxit. Peculiarem *deſcriptionem* ſi attendas, Teuthos, deſcribente Bellonio ipſa quidem Loligine major eſt, ut cubitorum interdum quinque eſſe, inquiat Ariſtoteles. Exteriore quoque corporis nota aliquantulum a Loligine diſcernitur. Pars enim Lolii, quae exit in acutum, in Loligine latior eſt. Quin etiam pinnulae totum Lolium ambiunt, junctae perpetuaeque, quae alioquin in Loligine partem aliquam relinquunt. Minus autem accedit ad Polypum quam Sepia. Nam corpus ei oblongum eſt, cartilagineum, duabus pellibus obductum: *gladium* arctiorem et magis cartilaginoſum in tergore continens, translucidum vitri modo, tenui theca incluſum: roſtrum aquilinum, pſittaci figura. Sed eodem modo *atramentum* quo Sepia emittit, et cirros octonos habet, breves tamen: in quibus tot *acetabula* conſpicies, quot in Sepiis. Ac praeter illos octonos duo quoque longa flagella, ſeu promuſcides, multis in extremo acetabulis circumſeſſa videbis. Haec acetabula praeter Sepiarum et Polyporum morem, tribus introrſum oſſeis aculeis robuſtis, in gyrum munita ſunt. Latas in gyrum diffundit pinnas: a cujus ore corneo gula praetenditur anguſta, et uſque ad ſtomachum longa, quem habet ampliſſimum, atque adeo ingluviem, quae hunc praecedit. *Loliginis minoris* deſcriptionem, quae fere nihil ab iſta differt, vide apud eundem.

Locus.

*Reperiuntur* in profundo * mari, etiam prope † Euboeam, quin et in Ponto, in quo nulla Sepia. In noſtro mari, inquit Plinius, quinum * cubitorum capiuntur. *Victitant* piſcibus: nec a Cancris, Paguris et Aſtacis abſtinent; diligenterque, quicquid in ſtomachum dimiſerint, roſtro, quod robuſtiſſimum habent, atterunt.

* *Ariſt. de part. l. 4. c. 4.*
† *Athen. l. 7. Dipn.*
* *Plin. H. N. l. 9. c. 15.*
*Idem l. 9. c. 30.*

Victus.

Generatio.

*Plin. l. 9. c. 5.*
*Ariſt. de gener. l. 3. c. 8.*

De *Coitu* idem in Loliginibus occurrit, quod in Sepiis diximus. Pariunt in alto, et conſerta ova edunt. Apparent haec gemina, quod vulva earum ita articulata ſit, ut bifida cernatur. Neque his bimatu * longior vita. Mas a foemina differt, quod intus meatus duos habeat, quibus mas caret, ſicuti in Sepiis evenit. Non tantum ſuis pinnaculis natant, † ſed etiam iiſdem extra aquam ſe efferentes volitant: et ſaepe tanta multitudine, ut, quod ex Trebio Nigro Plinius prodidit, navigia quoque demergant. Dum volitant tempeſtatem praenunciant, quod caro ipſarum nuda et glabra, frigoris quoque ſit impatiens, ut Plutarchus prodidit.

* *Plin. H. N. l. 9. c. 3.*
† *Plin. H. N. l. 9. c. 29.*
*Plut. qu. natur. 18.*

Uſus.

*Uſus* Loliginnm ut olim in Cibis fuit, ſic nunc eſt. In coena lauta appoſitos Pherecrates apud Athenaeum teſtatur: Scholiaſtes Ariſtophanis, et Suidas inter viles reponunt. Praeferuntur gravidae, et quas Ambracia dedit, Romae menſibus frigidis laudantur. Et aſſarum, et in ſartagine coctarum, Athenaeus meminit. Antiphanes farcta delectatur. Deterius jus ſine atramento confici opinantur. Quomodo ſapidiores reddantur, vide Aldrovandum. In *Medicina*, ſtomachicis convenire in cibo apud Galenum legimus. Torminoſis aſſatas prodeſſe Marcellus Empiricus prodidit.

*Galen. de Comp. ſec. gen. l. 1.*

## CAPVT IV.

### *De Lepore marino.*

Tab. I. 6.
Nomen.

LEPVS marinus, Graecis λαγῶς et λαγῶος θαλάσσιος, a colore leporis terreſtris, quem ἐμπέρκιον vocant, nomen ſortitus eſt. Monſpelienſes ebrium vocant, quod vivus colore ex rubro nigricante ſit, quali plerumque ebrii conſpiciuntur. Mortuus ex fuſco albicat.

Deſcriptio.
*Aelian. H. A. l. 2. c. 45.*
*Apulej. in Apologet.*

Varie a veteribus *deſcribitur*, qui eum modo offae informi, ut Plinius, modo cochleae teſta exemptae ut Aelianus; modo Loligini parvae, carneam ſi reſpicias, ut Dioſcorides, aſſimilarunt. Apulejus caetera exoſſem, duodecim tamen numero oſſa ad ſimilitudinem talorum ſuillorum connexa et catenata gerere, reliquit.

Differentia.

Rondeletius *tria genera* deſcripſit. *Primum genus* maxime lethale eſt, cochleae nudae admodum ſimile, maxime poſteriore corporis parte. Os habet in dorſo veluti Sepia, volutae inſtar contortum, qua parte caudam ſpectat; in lateribus Sepiarum modo pinnas habet alveum ambientes replicatas: mox cornicula duo carnoſa, qualia ſunt in cochleis, altera tantum capitis parte Zygenae caput imitatur: altera parte foramen eſt, per quod carnoſam quandam ſubſtantiam exerit, quam etiam pro arbitrio retrahit. In harum duarum partium medio rima eſt pro ore, *atramento* et reliquis partibus internis loliginem refert. Idque in hoc genere eſt mirabile, quod cum in omnibus animantibus partes ſiniſtrae dextris ſimiles ſint, in hoc ſint valde diſſimiles, ideo offa informis merito dicitur. Odore eſt piſculento tetroque. *Alterum genus* ſuperiore eſt majus, partibuſque et aliis ſuperiori ſimile, ſed parte priore duas latas appendices carnoſas habet, in quarum medio rima eſt. Paulo infra cornicula duo, qualia in ſuperiore deſcripta ſunt, niſi quod acutiora et breviora ſint. In dorſo os nullum, neque poſterior pars, cochleae exenteratae ſimilis eſt. Hujus poſterioris partis utroque latere, veluti in Sepia pinnae ſunt magis replicatae et expanſae. *Tertii generis* prona et ſupina pars exhibetur. Quod in partis ſupinae medio conſpicitur, eſt os: Suprapoſita ori pars alveus, qualis in Sepiis, ovi figura, ſed in ambitu crenatus. Ori ſubjecta pars membrana eſt tenuis, carnoſa, magis expanſa in rotundum, cujus ora fimbriata eſt, fimbriae nigrae ſunt. Intus cerebri nigri parum eſt, gulam excipit ventriculus, ex quo oritur inteſtinum inſtar capreolorum vitis convolutum. In medio ſubſtantia quaedam eſt fungoſa, ſuccum fuſcum continens, fortaſſis μήκων cum atramento ſuo. Toto corpore eſt ſplendido: Cryſtallum vel pituitam concretam congelatamque dixeris. Odore eſt ingrato et piſculento nauſeamque movet. Hoc genus Bellonius pro communi lepore deſcripſiſſe videtur. Fulvum inquit leporis terreſtris colorem imitatur. Pulmonis marini more per mare divagatur, tametſi pinnis careat. Pellucidum habet corpus ovi anſerini magnitudinem non excedens, quod pro lubidine huc et illuc transfert. Septem habet appendices innumeris promuſcidibus ſtipatas ex Indico in cyaneum vergentes, quibus ſugendo corpori alimentum ſuggerit: appendicum autem ſubſtantia fungoſa eſt. Ex aqua emergens naturam ſuam emittit, et in ſeipſum concidit. Linguam demorſus vellicat ut ari radix, paulo tamen remiſſius, etc.

*Aelian. H. A. l. 16. c. 19.*

Addit Aelianus et *Indicum*, quod ex omni parte ad terreni leporis ſimilitudinem accedit, praeter pilos, qui ſpinoſi et erecti. Tertium illud genus in alto mari degit, ideoque rariſſime capitur. Primum in ſtagnis marinis lutulentis, et alga limoque veſcitur. Frequentes inter Cycladas inſulas occurrere Bellonius prodidit. Dari in hoc genere marem et foeminam apud Plinium habemus. Cum ad Rondeletium delatus eſſet, qui lingula carnoſa careret et ore in dorſo, marem eſſe judicavit, primo loco deſcriptam foeminam, quod in ea Polyporum ovis ſimile quid reperiretur.

*Plin. H. N. l. 22. c. 1.*

Adhi-

*Ariſt. H. A. l. 5. c. 17. l. 8. c. 17.*

lent inter ſe depugnant, iſtis cum aliis, quod denique vere et autumno poſt partum operculum exuant.

Uſus. *Plin. H. N. l. 9. c. 37.*

*In Cibo* laudantur plenilunio, quia ſydus tepido fulgore mitificat tempore verno et autumnali, et cum uterum gerunt. Grati ſunt ſaporis, ſed durae carnis, ideo coctionis arduae. In *Medicina*, ad canis rabidi morſum, tabem, et fervidorum humorum deuſtionem conferre, Lemnius tradidit.

*Athen. Dipnoſ. l. 3. Lem. de Occult. Natur. l. 3.*

# TITVLVS II.
## DE CRVSTATIS IN SPECIE.

## CAPVT I.
### *De Cruſtatis caudatis.*

### ARTICVLVS I.
### *De Locuſta.*

TAB. II. I. Nomen.

Cruſtata in Caudata et Rotunda optime dividemus. Illa ſunt, *Locuſta, Aſtacus et Squilla. Locuſtam* Iſidorus, a pedum longitudine dici putat. Graecis eſt καράβος, παρὰ τὸ τῆ κάρα βαίνειν, quod capite incedat, vel eo ſit multum prominente, καραβὶς apud Trallianum, Heſychio et Varino Αἰγιλήρος a caudae motu, καβάρεος et κηραφίς. Ab aliquibus γραφιαῖοι, ab aculeis, πρὸς τὸ γράφειν καὶ χαράττειν, id eſt, ad ſcribendum et ſculpendum idoneis. Ariſtophanis ſcholiaſtes παγέρους τοὺς παρ᾽ ἡμῖν καράβους exponit. Hirto aſperoque ſunt corpore.

Deſcriptio.

Duo eis ante oculos cornua magna, initio aſpera et aculeata, deinde rotunditate praepilata, (κέντρα Oppianus et Aelianus, Ariſtoteles κέρατα, nos antennas vocamus) in exortu craſſiſſima, quae paulatim magis ac magis ita gracileſcunt, ut tandem in tenuiſſimum cirrum deſinant, in omnemque partem pili inſtar flecti poſſint. *Oculi* cornei ſemper prominentes, et, exerti, in obliquum mobiles, aculeis acutiſſimis firmiſſimisque utrinque tanquam propugnaculis muniuntur. Oris lateribus additae appendiculae tanquam parvi pedes ad tutelam. *Dorſum* aſperrimum eſt et aculeatum, velut e fronte aculeus magnus eminet. In lateribus *branchias* habet veluti e pilis coagmentatas, *pedes* utrinque quinos annumeratis extremis chelis, quas Gaza modo forcipes denticulatos modo brachia forcipata interpretatus eſt: flectunt eos in obliquum, ut chelas introrſum. *Cauda* laevis et ſine aculeis ex quinque tabellis contexta, in pinnas quinque deſinens, natandi cauſa, ei tanquam remo innititur, et in ea totius corporis robur ſitum eſt, quod experieris, ſi ea parte Locuſtam apprehendas. *Dentes* habent primores binos majuſculos et *gulam* ante ventrem exiguam, in quo nonnulli dentes, et ſimilis muti humor. *Cor* ex nigro rufeſcere obſervavit Bellonius. Mare cum excipiunt ore, tranſmittunt id ad ſuas branchias, quarum plures quam alia cruſta intecta obtinent. Praeterea *meatus* pectore dependet uſque ad exitum excrementi: is pro vulva foeminis eſt: genitale vero ſemen continet in manibus. Jacet autem in concavo carnis, ita ut interjaceat caro. Nam inteſtinum ad partem curvam ſitum eſt, meatus ille ad cavam; non alio modo quam in quadrupedibus continetur. Neque vero id alia ſpecie eſt in maſculo et foemella, ſed utrisque et tenues et candidi, ac pallidum continent humorem. Et utrisque eadem origo a pectore. Quem Aldrovandus appinxit dorſum habebat inter atrum et caeruleum medium, dentem ſuperiorem triplo majorem inferiore. Vterque intus tuberculis caret, et utrinque eſt acutus.

*Ariſt H. A. l. 4. c. 2.*

Locus.

*Reperiuntur* in mari, circa Sigaeon inprimis Athon et Liguſtico. In Indico quatuor ſunt cubitorum. Hyeme vero aprica littora ſectantur, aeſtate in opaca gurgitum recedunt, petroſisque locis vivunt. In Liguſtico nigricantes Pierius Valerianus conſpexit.

*Plin. H. N. l. 9. c. 3. Ariſt. H. A. l. 5. c. 17.*

*Victus*

Landesbibliothek Oldenburg